



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 16. Loquaces sunt homines terreni, vanæ conscientiæ, & vascula  
inania.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)



borum prouenientem. D. Paulus interdicit Timotheo, 2. Tim. 2. 14. dicens. *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audientium.* Rectè ergò Menander dixit. *Lingua multorum est causa malorum.* Et idem lingua multos ad perniciem pertraxit. Vide etiam quæ diximus suprà capit. 6. num. 1. & cap. 9. num. 2.

## CAPVT XVI.

*Loquaces sunt homines terreni, vanæ conscientie, & vascula inania.*

*Loquaces  
terreni  
sunt*

**P**rimùm patet, quia nihil nisi terrena loquuntur, idq; secundum D. Ioannis Baptistæ sententiam, qua inquit ad discipulos suos, Ioan. 3. 31. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur.* Ergò non loquitur sapientiam cœlestem, sed Iacob. 3. 15. terrenam, animale, diabolicam: ait enim, *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris: nolite gloria-*



ri & mendaces esse aduersus veritatē;  
non est enim ista sapientia desursum  
descendens, sed terrena, animalis, dia-  
bolica. Ubi enim zelus & contentio,  
ibi inconstantia, & omne opus prauū.

Secundū est, quod sua lo-  
quacitate sunt ipsimet vani con-  
scientiæ iudices, & quod in vanum  
acceperunt animam suam; atq; id-  
eò iuxta Psalm. 23. 3. neq; ascen-  
dere ad montem Domini, neq; sta-  
re in loco sancto eius poterunt.  
Ratio datur Psal. 5. 10. *Quoniam*  
*non est in ore eorum veritas, cor eo-*  
*rum vanum est.* Psalm. 11. 2. *Dimi-*  
*nuta sunt veritates à filiis hominum,*  
*vana locuti sunt unusquisq; ad proxi-*  
*num suum, labia dolosa in corde, &*  
*corde locuti sunt.* *Disperdat Dominus*  
*uniuersa labia dolosa, & linguam ma-*  
*gniloquam, &c.* Porro de lingua do-  
lofa vide plura cap. 59. liter. D. nu-  
mer. 6. Sic de fallis Prophetis dici-  
tur, Ezech. 13. 8. *Locuti estis vana,*

Et vanæ con-  
scientiæ



& vidistis mendacium: ideo ecce ego  
 ad vos dicit Dominus Deus. Et erit  
 manus mea super Prophetas, qui vi-  
 dent vana, & divinant mendacium,  
 in consilio populi mei non erunt, & in  
 scriptura domus Israël non scribentur:  
 nec in terram Israël ingredientur. Sic  
 D. Paulus Tit. 3. 9. inquit. Stultas  
 autem quæstiones & genealogias, &  
 contentiones & pugnas legis devita:  
 sunt enim inutiles & vana. Sicut &  
 D. Iacob. 1. 26. illius religio qui  
 linguam refrenare nequit. Vide  
 infra capit. 28. numer. 2. Indoles  
 quoq; iuuenum ex loquela cogno-  
 scitur. Vanus etiam sermo, inquit,  
 Isidorus, vanæ conscientiae est in-  
 dex, mores hominis lingua pandit,  
 & qualis sermo ostenditur, talis a-  
 nimus comprobatur. Idem libr. 2.  
 Soliloquiorum. Vanus sermo ci-  
 tò petit mentem, & facile agitur  
 quòd libenter auditur. Prou. 15. 2.  
 Os fatuorum ebullit stultitiam. Hinc

Indoles  
 iuuenum  
 ex ling-  
 gua co-  
 gnosci-  
 tur.

Vanus  
 sermo.

cùm



cum diues quidam filium adole-  
 scentulum ad Socratem misisset, vt *Socra-*  
 indolem inspiceret, ac pædagogus *tes.*  
 diceret, pater, ad te ô Socrates mi-  
 sit filium, vt eum videres. Tum  
 Socrates ad puerum, loquere in-  
 quit, adolescens, vt te videam: si-  
 gnificans ingenium hominis, non  
 tam in vultu relucere, quàm in  
 verbis, quòd ea sunt certissimum  
 minimeq; dubium animi speculũ.  
 Maximè verò religiosis, & Mona-  
 chis conuenit ab huiusmodi ser-  
 monibus vanis & ritum prouocã-  
 tibus abstinere. Nam Monachus  
 teste D. Hieronymo in Epistolis *Mona-*  
 plangentis habet officium, qui vel *chi ofa-*  
 se, vel mundum lugeat, & Domini *ficium*  
 pavidus præstoletur aduentum. *plang-*  
 Sic & D. Chrysoftomus hom. 59. *gere.*  
 ad populum Antiochenum, mo-  
 nasteria domum luctus & sedem  
 lacrymarum vocat.

Tertiũ est, quod sunt vascu-



Baby  
lō vas  
inane.

la inania, & homines qui seducuntur inanibus verbis. Quòd vetuit D. Paulus Ephes. 5. 6. fieri. Sic Ier. 51. 34. dicit filia Babylonis de Nabuchodonosore rege. *Reddidit me quasi vas inane.* Nam vt Babylon, quæ confusio dicitur, fuit vas omni gloria terrena plenum; & per Nabuchodonosorem qui planctū iudicij significat, reddita fuit vas inane; ita qui linguam hīc habuimus terrenam, & in terrenis, & otiosis, & vanitatibus gloriati sumus, vbi planxerimus iudicium de nostris verbis à DEO latum, videbimus omnia nostra vasa esse in rebus spiritalibus inania. Demum vt cum Plutarcho loquar in moralibus. Vt vascula prorsus inania facilè tinniunt; ita quibus minimum inest mentis, sunt loquacissimi, & quàm facillimè impatientiæ signa de se produnt.